ACTUS VIRTVTVM

ET

ORATIONES

AD

DEVM

ET

DEIPARENTEM

Typis Clari Montis Czestochoviensis Anno 1695.

ACTVS

Virtutum, & Orationes ad DEUM *Deique Parentem.*

ACTUS FIDEI.

PRima & infallibilis Veritas, DEUS meus, qui nec falli, nec fallere potes, captivo intellectum meum in obſequium fidei, & credo propter tuam ſolam veracitatem, omnia & ſingula quæ in Eccleſia Catholica revelaſti. Credo quod ſis, & quod remunerator ſis Credo omnia quæ revelaſti de tua Unitate de Trinitate, de Incarnatione VERBI Divini, de Sacramentis, de Eccleſia, eiuſque capite, de cultu Sanctorum, de merito bonorum Operum, de Purgatorio &c. Proteſtor coram te quod in hac pro hac, & ex hac fide, vivere, operari, &

mori volo. Imo propter hanc fidem defendendam, confirmandam, dilatandam, volo omnium Martyrum Pati tormenta, carceres, gladios, rotas ignes, cruces, equuleos, omnia iſta ſuper me veniant, tantum ut te DEO meo fruar.

Jtaque omnia perfidiæ monſtra Atheiſmum, Paganiſmum, Iudaiſmum, Arianiſmum, Lutheraniſmum, Calviniſmum, & omnes hæreſes ab Eccleſia damnatas, ego pariter damno, execror, & anathematizo.

Credo Domine, adiuva incredulitatem meam, Domine adauge nobis fidem. Da fidem vivam, quæ per dilectionem operatur.

ACTUS SPEI.

DEUS meus, miſericordia mea, ſpes mea, ab uberibus Matris meæ, in te omnis ſpes mea, ſpero in te, & à te Teipſum. Spero per te, & per merita IESU Chriſti Domini noſtri veniam, gratiam, gloriam, & omnia bona temporalia, & æterna Spe-

na Spero quia bonus es nobis, quia es Omnipotens, quia fidelis es in promissis. Spero in te quia maior est bonitas tua, quam malitia mea, quia misericordia tua superexaltat judicium.

Spero quia si filium tuum Unigenitum nobis donasti, quomodo non omnia nobis cum eo donabis? Non timebo mala quoniam mecum es. Dominus firmamentum meum? & refugium meum, & liberator meus. O Domine in te confido non erubescam.

ACTUS
TIMORIS DEI.

DEUS ultionum, DEus terribilis super omnes Deos quis non timeat te; cum columnæ cæli contremiscunt & pavent ad nutum tuum. Timeo igitur te DEus meus, imprimis timore reverentiali, admirando supra existentem: & agnoscendo subiectionem meam secundum infinitam à te distantiam, recedo &

resilio in abyssum nihili mei. timeo etiam te timore Pœnali. Timeo te timore servili, ut servus Dominum, & reus iudicem, ne crucier in gehenna. Timeo te timore Mercenarij, ut operarius remuneratorem, ne excludar à gloria. Sed potissimum timeo te timore filiali, ut filius patrem ne deserar à gratia. Domine dum veneris iudicare noli me condemnare, ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Ne permittas me separari à te. Confige timore carnes meas, ut à iudicijs tuis timeam, utq; cum timore & tremore operer salutem meam.

ACTUS AMORIS DEI.

DEUS meus & omnia, summum ac infinitum bonum, amo te toto me, & tota mea potentia amativa, sine ulla divisione cordis mei in creaturas, quia es summum bonum,

num, continens modo optimo omnem possibilem bonitatem, in quamcunque potest ferri amor meus. Amo te supra omnes divitias, & honores, supra omnem Sapientiam & excellentiam creatam, supra sanitatem, supra vitam & me ipsum, quia es summum bonum supra omne bonum.

Amo te ferventissimè, intensissime, insatiabilissimè, & ut dicebat ille amator tuus, Seraphice, Marianè, Theandricè omnitudinaliter, omnipossibiliter. Et ideo assumo, mihique unio corda amore tuo ardentia omnium Sanctorum hominum & Angelorum, omniumque creaturarum rationalium possibilium, adeoque Cor ipsius Virginis Deiparæ, & Cor humanitatis Christi hisque omnibus te ignitissimè amo. Amo te sine mensura, sine fine, quia es bonum infinitum & immensum. Imo si possibile esset, Vellem te amare infinitè Divine, quantum di-

gnus es, quantum amabilis es, ſed quia hoc facere non poſſum ſuppleo id de tuis bonis, tuumque amorem divinum qui ſolus eſt æqualis amabilitati tuæ, tibi offero, ac peto, ut Tu tuo amore ames te ſupplendo exilem amorem meum erga te.

Ex amore tui deſidero etiam cum diſpendio omnium bonorum & vitæ meæ, ut agnoſcaris, ameris adoreris ab omnibus creaturis rationalibus, in omnibus, ſuper omnia. Deſidero item ardentiſſimè ô pulchritudo infinita te videre, te frui per totam æternitatem, idq; non ideo, quia hoc mihi bonum eſt ſed quia tibi maius placet; & ut te magis agnoſcam, amem & glorificem. Oquando veniam & apparebo ante faciem tuam. Cupio diſſolvi & eſſe tecum. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

Jnterim propter amorem tui nolo

tibi unquam dare occasionem displicentiæ ullo peccato, etiam veniali. Volo de te sepe cogitare, sæpe loqui. Volo frequenter ad te aspirare, Volo in virtutibus & amore tui semper crescere. Volo pro gloria tua propter te, multa difficilia agere & pati, ad dandum gustum dulcissimo cordi tuo.

O DEUS meus imple amore tuo totam capacitatem cordis mei. Da quod iubes. Diligam te Domine fortitudo mea, amplius & amplius. Amorem tuum solum mihi dones & dives sum satis, dives sum satis.

ACTUS
CHARITATIS PROXIMI, propter DEUM.

DEUS pacis & dilectionis propter te amo, sicut me ipsum & amplector in visceribus IESU Christi omnes proximos meos; idque ideo, quia in ijs relucet imago tua; quia omnes redempti sunt pretioso

Sangvine Filij Dei. Quia hæc est voluntas tua ut omnes simus unum, sicut tu unus es in Trinitate. Quia hoc est mandatum novum Redemptoris mei ut diligamus invicem Specialiter amo propter te sicut me ipsum omnes fideles, quia sumus unum corpus sub uno capite Iesu Christi, quia sumus Cives Sanctorum & domestici Dei quia de uno pane cælesti participamus; quia ut spero nos mutuo in cælo amabimus æternum. Amo etiam propter te sicut me ipsum omnes inimicos meos, ijsq; ex Corde condono omnes meas offensas, ut tu Domine dimittas omnia peccata mea. Domine ne statuas illis hoc peccatum, quod me aliquando offenderint vel contristaverint. Ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.

ACTUS
Adorationis & Laudis Dei.

MAgne Deus, Rex Regum, & Dominus Dominantium, ego

vilissima creatura tua, procedens ex abysso vilitatis meæ, tanquam de palude sua ranuncula, audeo comparare ante Maiestatem tuam eidemq; obstrepere. Fretus ergo bonitate tua prosterno me in centrum nihili mei coram te, & recognosco te Deum ac Dominum meum, primum principium & ultimum finem meum, Teq; toto me, affectu tibi gratissimo mihi possibili, imò affectu beatifico, Seraphico, Mariano, Theandrico, affectu quo dignus es, supra omnia adoro, laudo, glorifico, benefico, magnifico, exalto, & omnes & singulas tuas perfectiones Divinas.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloriâ eius. Benedictio, & claritas & honor Deo nostro in sæcula sæculorum.

Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua Lauderis, glorificeris, ab omnibus, super omnia in æternum.

ACTUS GRATITUDINIS.

PAter misericordiarum & Deus totius consolationis: quam beneficus es Universis. & miserationes tuæ super omnia opera tua, idcirco, magnificat te anima mea, quia fecisti mihi & omnibus creaturis magna qui potens es, & Sanctum nomen tuum. Sis ergo benedictus ab omnibus creaturis, in omnibus, super omnia, pro omnibus & singulis donis naturæ, gratiæ & gloriæ collatis in tempore, & in æternitate conferendis, Sanctissimæ Matri eiusdem, omnibus & singulis Angelis & hominibus, comprehensoribus & viatoribus, prædestinatis & reprobis, iustis & peccatoribus, ingratis: infidelibus, damnatis. imo etiam pro beneficijs omnium creaturarum irrationalium quæ unquam fuerunt, sunt, & erunt. Pro omnibus istis creaturis tuam beneficentiam & liberalitatem benedico tibique

que

que gratias ago toties. quod beneficia illis & mihi contulisti, & quot conferre per totam æternitatem decrevisti.

Sis benedictus in æternum pro omnibus & singulis gratijs naturalibus & supernaturalibus, internis & externis, habitualibus & actualibus, universalibus & particularibus.

Sis benedictus pro beneficio creationis, conservationis, cooperationis, exhibito & exhibendo omnibus & singulis creaturis.

Sis benedictus pro Incarnatione VERBI Divini. pro Vita, Passione, & morte IESU Christi, pro doctrina eius, consilijs, præceptis, exemplis, miraculis, pro redemptione & usu Sacramentorum pro fundatione Ecclesiæ Religionum.

Sis benedictus pro infusione gratiæ Sanctificantis, omniumque Virtutum Supernaturalium, pro illustrationibus; & Inspirationibus, excitantibus, & adiuvantibus, operantibus

tibus & cooperantibus, prævenientibus concomitantibus ac ſubſequentibus. Pro concurſu ad actus ſalutares: pro gratia externæ protectionis; pro omnibus miraculis propheticis, & pro omnibus & ſingulis gratijs, ſive gratis cuicunq; datis, ſive gratum facientibus.

Sis benedictus pro prædeſtinatione, Vocatione, Iuſtificatione, glorificatione omnium electorum.

Sis benedictus pro gloria nominis tui, propagata in cœlo & in terra.

Sis benedictus pro omnibus afflictionibus, perſecutionibus doloribus, quæ ad caſtiganda mea peccata ut iuſtus iudex ſimulque miſericors Pater permiſiſti, ut permittere decreviſti.

Ac denique ſis benedictus pro omnibus tuis decretis circa meam vitam, & mortem & æternitatem.

Pro his & ſingulis beneficijs, confiteantur tibi Domine omnia opera

tua & Sancti tui benedicant Tibi. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui coronat te in misericordia & miserationibus & replet in bonis desiderium tuum. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Sit Nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in sæculum.

ACTUS CONFORMITATIS

Cum Divina Voluntate seu Resignationis.

ADoranda Sapientissima, omnipotentissima, beneficentissima DEI Voluntas subijcio me tibi totum mancipioque in æternum, & amplector omnes tuas de me, rebusque meis æternas ordinationes; inque ideo, quia sum tuus essentialiter servus, quia nullus tibi resistere potest, quia omnia de nobis sapientissimè disponis, quia nihil odisti

eorum

eorum quæ fecisti, & omnia ex amore Paterno, erga nos decernis. itaque exuo me propria voluntate cæca, & non nisi quod noxium est appetente, ut tua divina regar Sapientia, ut cor habeam; secundum cor tuum, ut tua vivam voluntate. Hoc tantum volo quod tu vis, hoc nolo quod non vis. In omnibus non mea, sed tua voluntas fiat. Fiat ita ô Pater sicut placitum fuit ante te ab æterno. Dominus es, fac quod bonum est in oculis tuis. Vis me divitem aut pauperem: honoratum aut contemptum, celebrem aut infamem, paratum cor meum DEUS. Vis me sanum aut ægrum, lætum aut mœrentem, paratum cor meum DEUS. Vis me diutius vivere aut cito mori: parum aut multum in virtutibus proficere; parvam aut magnam gloriam in cœlo consequi paratum cor meum DEUS. Ecce ego servus tuus, fiat mihi secundum verbum, secundum decretum tuum.

Reſigno me adorandæ tuæ voluntati ad inopiam, ad infamiam, ad contemptus, ad extremos dolores, ad mortem, imò uſque ad condemnationem æternam, uſque ad mei annihilationem.

Volo habere id quod habeo, quia habeo quod volo, quia id volo, quod tu vis. in omni eventu ſive proſpero, ſive adverſo, in ſolatio & afflictione, in morbo & ſanitate in vita & morte benedicam. Dominum omni tempore ſemper laus eius in ore meo, quia ſemper dignus eſt, qui ſemper pater eſt. Dominus dat, Dominus aufert, ſit Nomen Dimini benedictum.

ACTUS
SUBIECTIONIS.

O Domine, ego ſervus tuus, & filius Ancillæ tuæ. nonne igitur Tibi ſubiecta erit anima mea. En exnunc, pro ſemper, ſubijtio eam altiſſimæ juriſdictioni Tuæ, ſupreme legislator. Ac imprimis diſpo-

ſitionem voluntatis meæ rerumq; omniũ ad me ſpectantium, planè committo voluntati tuæ. Approbo omnia decreta tua, & ordinationes æternas de me rebuſque omnibus meis quantum vis ſenſui meo repugnantes.

Volo integrè, promptè, hilariter, obedire tuis præceptis, Tuis conſilijs, Tuis inſpirationibus. Volo etiam obedire propter te ſuperioribus meis in omnibus, ubi peccatum non apparet, integre promptè, ad nutum, obedientia cæca: idque propterea quia omnis eorum poteſtas eſt à Te, quia in ijs Te cognoſco, quia volo imitari Chriſtum pro me obedientem uſque ad mortem crucis.

Doleo quod hactenus Tibi inobediens fuerim, quod jugum tuum confregerim, dixerimque non ſerviam. Pro omni mea in obedientia compenſanda, offero Tibi omnes obedientiæ, actus Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum, qui hac virtute floruerunt.

Domi-

Domine da quod iubes, & iube quod vis, doce me facere voluntatem tuam: quia DEUS meus es.

ACTUS HUMILITATIS.

DEUS qui humilia respicis, & alta à longe cognoscis, qui superbis resistis, & humilibus das gratiam, ego pulvis & cinis, cum magna confusione mea, agnosco & confiteor coram te in utilitatem meam. Agnosco quod ex me nihil sum, nihil habeo, nihil boni facio. Agnosco in meo intellectu cæcitatem, in voluntate malitiam, pertinaciam, inconstantiam! in appetitu sensitivo, inclinationem ad malum, difficultatem ad bonum; in corpore continuam mutabilitatem, mortalitatem, totque alias indigentias & miserias. Sed longè magis confiteor coram Te peccata mea, quibus tam á longè à te recessi regionem dissimilitudinis ut merito vocari debeam, non mo-

do peccator, sed ipsum peccatum.

Præterea opto, in quam tum id sine peccato fieri posset, ab omnibus negligi, contemni, male iudicari, odio haberi, diffamari & omnes contemptus, odia, iudicia, detractiones, volo hilariter pati, idque ideo, quia his omnibus dignus sum, quia volo imitari Christum Dominum meum pro me contemptum, irrisum Conculcatum, Consputum, male iudicatum, diffamatum, opprobrijs satiatum: quia volo obedire eidem Domino meo humilitatem præcipienti.

Denique nolo mihi in ullis meis factis & talentis complacere & osculari manum meam: nolo gratiam apud homines & honorem quærere, cum mihi sufficiat apud Te laus mea, honor & gloria æterna DEUS meus.

Quod verò aliquando me contra Te erexerim quòd gloriam tuam furatus fuerim, doleo super omnia: & pro omni mea superbia in eius

com-

compensationem offero Tibi omnes actus humilitatis Christi Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum humilitate insignium.

Domine non veniat mihi pes superbiæ: non ambulem in magnis & mirabilibus super me; ut promissa humilibus præmia feliciter cōsequar.

ACTUS
POENITENTIÆ.

BEnignissime Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat: Ego indignissimus peccator, venio ad te cum filio prodigo ex regione longinqua dissimilitudinis, accedo cum fiducia ad thronum gratiæ tuæ, fretus pietate tua, ac misericordia infinita, confiteor tibi adversum me iniustitiam meam. Pater peccavi coram te, non sum dignus vocari filius tuus. Tibi soli peccavi & malum coram te feci, Iniquitates meæ

ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. peccavi ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam.

Jdeo confundor & erubeſco coram Te Domine DEus meus & cum Publicano non audeo oculos in cœlum attollere, quia tot peccatis animam meam contaminavi, meque exoſum oculis tuis reddidi quia gratiâ & donis eius ſpoliatus ſum. pauper, nudus, cæcus, miſer, & miſerabilis: quia ex filio tuo, diaboli mancipium effectus ſum; quia diſſipavi ſubſtantiam tuam, quia ſum reus mortis æternæ.

O Bonum omni amore digniſſimum, retracto, damno, deteſtor omnia peccata mea, ac de illos doleo ſuper omnia.

Doleo ex motivo ſpei, quia amiſi promiſſàm mihi beatitudinem, eiuſ-

que privationem merui. Doleo ex motivo Religionis: quia peccata mea ſunt irreverentia & contemptus Maieſtatis Tuæ, ubique præſentis, & omnia videntis. Doleo ex motivo Iuſtitiæ. quia Tuum jus proprietatis læſi. Doleo ex motivo Obedientiæ, quia Tuis præceptis inobediens fui. Doleo ex motivo Gratitudinis: quia peccata mea ſunt ingratitudo pro tot beneficijs Tuis. Doleo ex motivo Pœnitentiæ, quia honeſtum dolendo abolere peccata. Doleo ex motivo omnium virtutum, quia peccata mea ſunt diſſonantia rectæ rationi, & oppoſita Virtutibus. Sed potiſſimum doleo ex motivo charitatis: quia peccata mea ſunt offenſa bonitatis tuæ infinitæ, tibique diſplicent ſummo ac puro bono, quod ſuper omnia diligo.

Ah utinam te ſummum bonum meum nunquam offendiſſem! Væ tempori illi, quo Te offendi. Ergo nunc ſit finis turpitudinis meæ. Di-

xi nunc cœpi. Statuo firmiter cum gratia tua custodire iudicia justitiæ tuæ. Malo mori quàm fœdari.

Te misericordiarum DEUS, procidens coram Te supplex deprecor, & per bonitatem cordis tui oro; miserere mei secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Averte oculos tuos à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.

AFFECTUS

AD BEATAM VIRGINEM.

Affectus Adorationis & Salutationis.

Augustissima Cœli terræque Princeps, DEI MATER MARIA, ad Tuos pedes provolutus, saluto & adoro Te omni illa adoratione hyperduliæ, cuius capax es: illa reverentia, quâ te salutavit Archangelus Gabriel, & Sancta Elisabet illo cultu, quo Te colunt Sancti Angeli, & homines Viatores, & comprehenso-

hensores! illo honore, quo te honoravit in terris tuus Tibi subditus, & quo Te nunc honorat in cœlo: idque facio propter maximam post DEUM excellentiam sanctitatis & beatitudinis tuæ, propter admirabilem Maternitatem tuam, propter altissimum Dominium Tuum in Creaturas.

Adoro & saluto Te tanquam quartam in mundo Personam uni secundam DEO; tanquam primum obiectum creatum Divini amoris; tanquam Matrem in Carne Filij Tui Deificam, Deo Homini imperantem tanquam causam de congruo meritoriam omnis gratiæ & gloriæ puris hominibus collatæ tanquam totius universi Imperatricem.

Saluto & adoro Animam Tuam, gratia plenam; Tuum intellectum: tuam scientiam, in instanti conceptionis infusam, quam Lumine gloriæ

& visione Dei illuminatissimum: Tuam voluntatem impeccabilem, omnibus habitibus & actibus virtutum ab ipsa conceptione Tua ornatissimam.

Saluto & adoro Tuum Corpus Sacratissimum, Deo Homini in primo gradu consangvineum: Tuum cor semper immaculatum, semper amore Dei ardentissimum: Tua beata ubera, quibus Filium Dei lactasti, Tuas Manus, quibus eum portasti & amplexa es: Tuos pedes, quibus eum comitabaris: Tuum os, quo ipsi oscula imprimebas: Tuam lingvam: qua cum illo dulces sermones miscebas: Tuos oculos, quibus illum amanter inspiciebas.

AFFECTUS

Laudis & glorificationis.

GLoriosissima Dei Mater, laudo & glorifico Te omni laude, qua digna es, qua Te beatam dicunt omnes sive in cœlo, sive in terra gene-

generationes. Laudo & glorifico Tuam admirabilem Maternitatem. Tuam Immaculatam Conceptionem. Tuam puritatem, quâ maior sub Deo nequit intelligi. Tuam Corporis pulchritudinem. Tuam Scientiam ab instanti Conceptionis infusam, & Visionem beatam. Tuam gratiæ & gloriæ ac Virtutum excellentiam supra omnium creaturarum gratiam, gloriam ac virtutes; Tuum supra omnes creaturas dominium.

Vellem si possem, omnes laudes in Te congerere, quos totius Orbis incolæ, Tibi unquam, sive scriptis, sive voce tribuerunt, tribuunt, & tribuent: adeoque, quas ipsæ Tres Personæ Divinæ Tibi tribuent tota æternitate.

Hoc ardentissimè desidero, ut ab omnibus Creaturis rationalibus summè post Deum lauderis & glorificeris, in æternum: atque pro defensione & dilatione gloriæ Tuæ sangvinem fundere, & mortem oppetere paratus sum.

AFFECTUS
Amoris, & appretiationis.

PRetiosissima, admirabilis, amabilissima Mater pulchræ dilectionis, amo te summè post Deum, totis medullis cordis, totis præcordiorum affectibus, amo Te amore mihi possibili, Tibi gratissimo, amore illo quo digna es: idque propter summam post Deum bonitatem, pulchritudinē, humilitatem Tuam, tam naturalem quam supernaturalem: quia es optimum purum creatum, id est, Summum bonum post Christum: quia es primum obiectum creatum amoris Divini.

Appretio Te & æstimo plus, quam amicos & cognatos meos. plùs quam honores, Opes, vitam, sanitatem, mundum universum: amplius quàm res omnes, sive in terra, creatas: plùs, quàm Sanctos homines, & Angelos universos: idq; ideo, quia Tibi uni plus se communicavit Divina bo-

na bonitas; quàm omnibus creaturis simul sumptis.

Desidero amare Te, si fieri posset, amare illo, quo Te amant & amabunt in æternum omnes Electi; illo amore, quo amat Humanitas assumpta Filij Tui: illo amore, quo te amat SS. TRINITAS. Si mille, si infinita corda haberem, illis te amarem. Benedictum Cor Fili tui, quod defectus meos supplet amando te infinitè: hoc tibi cor dono & offero, eiusdemque affectu te diligo.

Utinam te orbis universus agnoscat, colat, amet, quantum capax es. Volo id procurare etiam cum dispendio vitæ meæ, & omnium bonorum temporalium. Protestor te ô Virgo in comparabilis, quod paratus sim potius gehennam subire, quàm minimam jacturam gloriæ tuæ pati.

AFFE-

AFFECTUS OBLATIONIS.

DIgnissima DEI Mater, non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro unum ex mancipijs tuis. En corpus & animam meam, spes & omnes res meas; Tibi devoveo & mancipo in æternum ut tibi vivam, moriar tibi, æternum tuus. Offero me tibi ad patiendum quid vis prodefensione & augmento gloriæ tuæ, ad omnes labores superandos, & ipsam mortem.

AFFECTUS FIDUCIÆ.

MAter Sanctæ Spei, in te omnis spes vitæ & Virtutis, tu es maxima post Deum mea fiducia & tota ratio spei meæ. Spero igitur per merita tua, & intercessionem omnia bona temporalia & æterna. Spero remissionem peccatorum, gratiam, & vitam æternam, idque

idque ideo quia es Advocata noſtra potentiſſima quæ plus potes ſola, quàm omnes Sancti ſimul: quia es Mater miſericordiæ, quia es Theſauraria gratiæ liberaliſſima. In te dulcis MARIA ſperamus, nos defendas in æternum.

AFFECTUS PETITIONIS.

MAter miſericordiæ, in Nomine IESU Filij Tui per bonitatem cordis Tui, te oro ſuppliciter, Monſtra te eſſe Matrem in omnibus meis neceſſitatibus ſpiritualibus & corporalibus, Mater DEI memento mei. & impetra mihi apud Tuum Dilectum Filium veniam peccatorum, gratiam efficacem ad vincendas tentationes, horrorem peccati mortalis, imitationem tuarum Virtutum, præſertim Caſtitatis, finalem, perſeverantiam in gratia, & mortem felicem: O MARIA ſis mihi propitia. in vita, morte mea, & æternitate.

ORA-

ORATIO
Ad Christum Passum.

DEUS, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle, & aceto potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine, per has Sanctissimas pænas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam, libera me à pænis inferni, & perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Quicum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

ALIA.

ALIA ORATIO

DOmine Iesu Christe, in cuius dicione cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, qui dignatus es nasci, mori, & resurgere per mysterium sacratissimi Corporis tui, & per quinque vulnera & effusionem pretiosissimi sangvinis tui miserere nobis, sicut tu scis necessarium esse animabus, & corporibus nostris, libera nos à diaboli tentatione, & ab omnibus, quibus nos angustiatos esse cognoscis, nosque in servitio tuo usque in finem conserva, atque corrobora, & veram emendationem, spatiumque veræ pœnitentiæ nobis tribue, & remissionem omnium peccatorum post obitum: & fac nos fratres, sorores, amicos, & inimicos invicem diligere, & cum omnibus in regno tuo sine fine gaudere, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO

Ad Vulnera Christi.

ROgo te Domine Iesu, per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, e quibus emanavit ille pretioſus ſangvis, quo ſumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo, & potentiſſimo telo tuæ nimię charitatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: charitate tua vulnerata ſum: ita, ut ex ipſo vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die, ac nocte. Percute Domine, percute, obſecro hanc duriſſimam mentem meam, pia & valida cuſpide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad Christum morientem.

O Domine Iesu Christe, adoro te in Cruce pendentem, coronam spineam in capite portantem: deprecor te, ut me tua Crux liberet ab Angelo percutientem. Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, adoro te in Cruce vulneratum, felle, & aceto potatum: deprecor te, ut vulnera tua sint remedium animæ meæ. A. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima tua egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, & liberantem captivos: deprecor te, ne

permittas me illuc introire, Amen.
Pater noster. Ave Maria.

O Domine Iesu Christe, adoro te resurgentem à mortuis, ascendentem ad cœlos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi, & tibi præsentari merear, A. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, & omnibus fidelibus miserere, & propitius esto mihi peccatori, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha, & aromatibus conditum: deprecor te, ut tua mors sit vita mea, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

Ad omnia membra Christi.

SAlve tremendum cunctis potestatibus caput Domini Iesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis spi-

nis coronatum, & arundine percus-
sum. Salve pretiosissima Salvatoris
nostri Iesu Christi facies, pro no-
bis sputis & alapis cæsa. Salvete be-
nignissimi Domini Iesu Christi Sal-
vatoris nostri oculi, pro nobis la-
crymis perfusi. Salve mellifluum os,
gutturque suavissimum Domini no-
stri Iesu Christi, pro nobis felle,
& aceto potatum. Salvete aures no-
bilissimæ Domini Iesu Christi, Sal-
vatoris nostri, pro nobis contumeli-
js, & opprobrijs, affectæ. Salve
collum humile Iesu Christi, pro
nobis colaphizatum, dorsumque san-
ctissimum pro nobis flagellatum. Sal-
vete venerabiles Domini nostri Ie-
su Christi manus, & brachia pro
nobis in Cruce extensa. Salve pe-
ctus mitissimum Domini Iesu
Christi, Salvatoris nostri, pro nobis
in passione conturbatum. Salve la-
tus gloriosum Domini nostri Iesu
Christi, pro nobis lancea militis
perforatum. Salvete Domini nostri

Iesu Christi, Salvatoris nostri, sacra misericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini Iesu Christi, Salvatoris nostri, pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum corpus Iesu Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum & sepultum. Salve sangvis pretiosissime de corpore Domini Iesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis effuse. Salve sanctissima Domini nostri Iesu Christi anima, in Cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadē commendatione tibi commendo hodie, & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos, benefactores, filios, & consangvineos meos, animas Parentum, fratrum, sororum, & omnium amicorum, ac inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus insidijs inimicorum nostrorum visibilium, nunc, & in perpetuum, Amen.

ORA-

ORATIO
Ad B. Virginem Mariam.

OBſecro te Domina Sancta Maria, Mater Dei pietate pleniſſima, ſummi regis filia, Mater glorioſiſſima, Mater orphanorum, conſolatio deſolatorum, via errantium ſalus omnium in te ſperantium, Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum, fons miſericordiæ, fons ſalutis & gratiæ, fons conſolationis, & indulgentiæ, fons pietatis & lætitiæ, fons vitæ & veniæ, per illam ſanctam ineffabilem lætitiam, quia exultavit ſpiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum annuntiatus, & conceptus Fius Dei fuit: & per illam ſanctam & ineffabilem humilitatem, in qua tu reſpondiſti Archangelo Gabrieli: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et per illud divinum myſterium, quod tunc operatus eſt in te

Spiritus ſanctus: Et per illam ineffabilem gratiam pietatem, miſericordiam, amorem, & humilitatem, per quas filius tuus, Dominus noſter IESUS Chriſtus deſcendit accipere humanam carnem in venerabiliſſimo utero tuo. Et per glorioſiſſima quindecim gaudia, quæ habuiſti de Filio tuo, Domino noſtro IESU Chriſto: Et per illam ſanctam & maximam compaſſionem, & acerbiſſimum cordis dolorem, quem habuiſti, quando Filium tuum. Dum noſtrum IESUM Chriſtum ante Crucem nudatum, & inipſa levatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, ſitientem, amariſſimum potum, fel, & acetum ori eius apponi, vidiſti, Eli clamantem audiſti, & morientem vidiſti: Et per quinqne vulnera eiuſdem Filij tui: & per contractionem viſcerum tuorum, præ nimio dolore vulnerum ſuorum: & per dolorem, quem habuiſti, quando vidiſti eum vulnerari: & per fontes ſangvinis ſui: &

per

per omnem paſſionem eius, & dolorem cordis tui: & per fontes lacrymarum tuarum: ut cum omnibus Sanctis, & electis DEI venias, & feſtines in auxilium, & conſilium meum, in omnibus orationibus, & petitionibus meis, in omnibus anguſtijs, & neceſſitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego ſum aliquid facturus, locuturus, aut cogitaturus omnibus diebus, ac noctibus, horis, atque momentis vitæ meæ. Et mihi famulo tuo N. impetres è dilecto Filio tuo Domino noſtro IEsu Chriſto virtutum omnium complementum, cum omni miſericordia, & conſolatione, omni conſilio, & adiutorio, omni benedictione, & ſanctificatione, omni ſalutatione, pace & proſperitate, omni gaudio & alacritate, etiam abundantiam omnium bonorum ſpiritualium, & corporalium, & gratiam Sancti Spiritus, qui me bene per omnia diſponat: animã meam cuſtodiat: corpus meũ regat, & pro-

tegat: mentem erigat: mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, præterita mala indulgeat. præsentia emendet, & futura moderetur: vitam honestam, & castam mihi tribuat, Fidem, Spem, & Charitatem mihi præstet, articulos Fidei firmiter credere, & præcepta legis observare me faciat, sensus corporis mei regat & protegat, & à peccatis mortalibus me semper liberet, & defendat usque in finem meum: hanc orationem suppliciter exaudiat & suscipiat, & vitam æternam mihi tribuat. Audi & intercede pro me, dulcissima Virgo Maria, Mater Dei, & misericordiæ. A.

PLANCTUS

Beatæ Virginis Mariæ.

STabat Mater dolorosa,
Iuxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat filius.

Cuius animam gementem,
Contri-

Contriſtantem, & dolentem
Pertranſivit gladius.

O quàm triſtis, & afflicta
Fuit illa Benedicta
Mater Unigeniti.

Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat, cum videbat
Nati pœnas inclyti.

Quis eſt homo, qui non fleret,
Chriſti Matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?

Quis non poſſet contriſtari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis ſuæ gentis,
Vidit Iesum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.

Vidit ſuum ducem natum,
Morientem deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.

Eia Mater fons amoris,

Me ſen-

Me ſentire vim doloris,
Fac ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum,
In amando Chriſtum Deum,
Ut ſibi complaceam,

Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Tui nati, vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.

Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere
Donec ego vixero.

Iuxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare,
In planctu deſidero.

Virgo Virginum præclara,
Mihi iam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem, Chriſti mortem,
Paſſi-

Paſſionis eius ſortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hanc inebriari,
Ob amorem filij.

Inflammatus, & accenſus,
Per te Virgo ſim defenſus,
In die judicij.

Fac me cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoveri gratia.

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradiſi gloria. Amen.

℣. *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſivit.*

℟. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

O R A T I O.

INterveniat pro nobis, quæſumus Domine IESU Chriſte, nunc & in hora mortis noſtræ, apud tuam clementi-

mentiam beata Virgo Maria, Mater tua, cuius ſacratiſſimam animam in hora tuæ paſſionis doloris gladius pertranſivit. Per te Iesu Chriſte Salvator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Commendatio ad Virginem Mariam.

O Domina mea ſancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum, tibi commendo, omnem ſpem meam, & conſolationem meam, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & diſponantur opera, ſecundum tuam, tuiq; Filij voluntatem, Amen.

ORATIO
AD CHRISTUM,

BOne Iesu, Verbum Patris, ſplendor paternæ gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere: doce me facere voluntatem tuam, ut à Spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem: ubi eſt dies æternus, & unus omnium ſpiritus, ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix ſuavitas, & ſvavis iucunditas, ubi tu Deus cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas per in finita ſæcula ſæculorum, Amen.

ALIA ORATIO.

O Bone Iesu, ô pijſſime Iesu, ô dulciſſime Iesu, ô Iesu Fili Mariæ Virginis, plene miſericordie & pietate, ô dulcis Iesu ſecundum magnam miſericordiam tuam miſerere mei.

O clementiſſime Iesu, te deprecor per

cor per illum ſanguinem pretioſum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me reſpicias miſerum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen Sanctum IESUS invocantem.

O nomen IESU, nomen dulce, nomen Iesu, nomen delectabile: nomen Iesu, nomen confortans: quid eſt enim Iesus, niſi Salvator? Ergo Iesu propter nomen ſanctum tuum eſto mihi Ieſus, & ſalva me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti.

O bone Ieſu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu recognoſce, quod tuum eſt & abſterge, quod alienum eſt.

O benigniſſime Iesu, miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi: ne damnes me in tempore iudicandi.

Quæ

Quæ utilitas in ſangvine meo, dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine Iesu, neq; omnes qui deſcendunt in infernum.

O amantiſſime Iesu, ô deſideratiſſime Iesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum: ò Iesu, ſalus in te credentium, ó Iesu ſolatium ad te confugientium, ô Iesu dulcis remiſſio omnium peccatorum: ô Iesu Fili Mariæ Virginis infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, & humilitatem: ut poſſim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſervire, & in te gloriari, & omnes qui invocant nomen tuum, quod eſt Iesus Amen.

O R A T I O

Beati Thomæ de Aquino.

CONcede mihi miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt ardenter

concupiſcere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfecte adimplere, ad laudem & gloriam nominis tui. Ordina ſtatum meum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam. Et da exequi ſicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine Deus meus inter proſpera, & adverſa non deficere: ut in illis non extolar, & in iſtis non deprimar: de nullo gaudeam, vel doleam, niſi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſi tibi. Vileſcant mihi Domine omnia tranſitoria, & cara mihi ſint omnia tua propter te, & tu Deus propter omnia. Tædeat me gaudij, quod eſt ſine te, nec aliquod cupiam, quid eſt extra te: delectet me Domine labor, quod eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ eſt ſine te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea, cum emendationis propoſito dolendo pen-

do pen-

do penſare. Fac me Domine Deus obedientem ſine contradictione: pauperem ſine defectione: caſtum ſine corruptione, humilem ſine fictione: & hilarem ſine diſſolutione: triſtem ſine deiectione: maturum ſine gravitate: agilem ſine levitate: timentem ſine deſperatione, veracem ſine duplicitate: operam te bona ſine prę-ſumptione: proximum corrigere ſine elatione; ipſum ædificare verbo & exemplo ſine ſimulatione. Da mihi Domine Deus cor pervigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio. Da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio. Da rectum quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio. Da invictum, quod nulla tangat tribulatio. Da liberum, quod nulla ſibi vendicet perverſa & violenta affectio. Largire mihi Domine Deus meus intellectum te cognoſcentem: diligentiam te querentem, ſapientiam te invenientem: converſationem tibi placentem: perſe-

verantiam te fideliter exſpectantem: & fiduciam te finaliter amplectentem: tuis pœnis configi per pœnitentiam: tuis beneficijs uti in via per gratiam, & tandem tuis gaudijs in patria perfrui per gloriam. Amen.

ORATIO

IN AFFLICTIONE.

O Dulciſſime Domine IESU Christe verus DEUS, qui de ſinu ſummi Patris omnipotentis miſſus es in mundum peccata relaxare, afflictos redimere, in carcere poſitos ſolvere, diſperſos congregare, peregrinos in ſuam patriam reducere, contritis corde miſereri, dolentes, & lugentes conſolari: Dignare Domine IESU Christe abſolvere & liberare me famulum tuum N. de afflictione, & tribulatione in qua poſitus ſum: & tu Domine, qui genus humanum in quantum homo, à DEO Patre omnipotente in cuſtodiam recepiſti, & ex

pietate

pietate tua crudeli passione, nobis paradisum pretioso Sangvine tuo mirabiliter mercatus es, & inter Angelos, & homines pacem fecisti. Tu Domine Iesu Christe digneris inter me & inimicos meos stabilire, & confirmare concordiam, & pacem, & gratiam tuam super me ostendere, & infundere misericordiam tuam, & omne odium, & iracundiam inimicorum meorum, quod contra me habent, digneris extingvere, & mitigare: sicut iracundiam, & odium Esau abstulisti, quod habebat adversus Iacob fratrem suum: ita Domine Iesu Christe super me famulum tuum N. brachium tuum, & gratiam tuam extendere, & me liberare digneris ab omnibus me odientibus. Et tu Domine Iesu Christe, sicut liberasti Abraham de manibus Chaldeorum, & filius eius Isaac, de immolatione sacrificij cum ariete, & Iacob de manu Esau fratris sui, & Ioseph de manu fratrum suorum, Noë

per arcam diluvij, & Lot de Civitate Sodomorum: famulos tuos Moysen, & Aaron, & populum Israëlem de manu Pharaonis, & de servitute Ægypti: David regem, de manu Saulis, & Goliæ gigantis, Susannam de falso crimine, & testimonio: Iudith de manu Holofernis: Danielem de lacu leonum tres pueros Sidrach, Misach, & Abdenago de camino ignis ardentis, Ionam de ventre ceti: & filiam Chananeæ, quæ erat tormenta per diabolum: & Adam de profundo puteo inferni, cum pretiosissimo Sangvine tuo: Petrum de mari, & Paulum de vinculis: ita me famulum tuum N. dulcissime Domine Iesu Christe Fili Dei vivi liberare digneris, ab omnibus inimicis meis, & succurrere in adiutorium meum per sancta beneficia tua, per sanctam Incarnationem tuam, quam accepisti ut homo de virgine Maria: per sanctam Nativitatem tuam, per famem, per sitim, per frigus,

gus, per calores, per labores & afflictiones, per ſputa, per alapas, per flagella, per clavos, per lanceam, per ſpineam coronam, per potationem fellis & aceti, per ſeviſſimam mortem crucis, per ſeptem verba, quæ pendens in cruce dixiſti, ſcilicet Deo Patri omnipotenti: ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Dixiſti Domine latroni in cruce pendenti: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Dixiſti Domine Patri tuo: Eli, Eli, lamaſabactani? quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quod dereliquiſti me? Dixiſti Domine Matri tuæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde diſcipulo: Ecce Mater tua: oſtendens curam te habere tuorum amicorum. Dixiſti Domine, Sitio, ſcilicet ſalutem animarum ſanctarum, quæ in lymbo fuerunt, & noſtram capiendo. Dixiſti Domine Patri tuo: in manus tuas commendo ſpiritum meum. Dixiſti Domine, conſummatum

eſt: ſignificans labores, & dolores, quos pro nobis miſeris ſuſcepiſti, iam finiri. Propter hos etiam rogo te redemptor Domine IESU Chriſte, ut famulum tuum N. cuſtodias ab hoſte maligno, & ab omni periculo hic in præſenti, & in futuro defende me per deſcenſionem tuam ad inferos, per ſanctam reſurrectionem tuam, & frequentem diſcipulorum tuorum conſolationem, per admirabilem aſcenſionem tuam, per adventum Spiritus ſancti paracliti, per diem tremendi judicij: per hæc omnia exaudi me Domine, & per cuncta beneficia tua, & etiam pro cunctis beneficijs tuis mihi famulo tuo collatis: quia tu me feciſti ex nihilo, tu produxiſti me, tu ad fidem ſanctam tuam perduxiſti me: & contra diaboli tentationem me præmuniſti, vitam æternam promittendo. Propter iſta, & omnia alia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt:

rogo

rogo te dulcissime Domine IESU Christe, ut ab omnibus periculis animæ & corporis pro tua pietate, & misericordia, me famulum tuum N. nunc & semper liberare digneris. Et post huius vitæ cursum, ad te Deum vivum & verum me perducere digneris: Qui vivis & regnas, in sæcula sæculorum, Amen.

PSALMUS.

IN TRIBULATIONE.

QVi habitat in adiutorio Altissimi: in protectione DEI cæli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu: & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Cadent á latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verum tamen oculis tuis conſiderabis: & retributiorem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet à te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

Jn manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedum tuum.

Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem. Quo-

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudinem dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meũ. Gloria Patri &c.

O R A T I O.

DEUS qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non ſpernis affectum, adeſto præcibus noſtris, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus, eaſque clementer exaudi: ut quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur adverſitates, ad nihilum redigatur: & conſilio tuæ pietatis allidatur: quatenus nullis adverſitatibus læſi, ſed de omni tribulatione, & anguſtia erepti, in Eccleſia tua tibi grati-

gratias referamus. Dimitte Domine peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam quam precamur: ut humilitatem noſtram attendas, vincula ſolvas, delicta deleas, tribulationem auſpicias, adverſitatem repellas, effectumque petitionis noſtræ largiens ſupplices tuos clementer exaudias. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

DOmine ne infurore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine uſquequo?

Con-

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valde velociter,

II.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Quam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua: converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus: in tempore oportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione

tione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

In camo & freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri &c.

III.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quo-

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum, meorum & ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei: adverſum me appropinqvaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longe ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus, non audiebam: & ſicut mutus, non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi: tu exaudies me Domine Deus meus.
Quia dixi, Nequando ſuper gaudeant mihi inimici mei: & dum com-

moventur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Imimici autem mei vivunt & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Jntende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, &c.

IV.

MIſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſe-

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci: ut iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te convertentur.

Libera me de ſangvinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exultabit lingva mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

V.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

Jn quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fenum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nicticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adverſum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fenum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Quo-

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt gentes Nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: & non ſprevit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cælo in terram aſpexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut ſolveret filios interremptorū.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ieruſalem.

Jn convertendo populos in unum: & reges ut ſerviant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem Dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Jnitio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli.

Jpſi peribunt, tu autem permanes: & omnes, ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filij ſervorum tuorum habitabūt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

VI.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinuit te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redemit Iſrael: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, &c.

VII.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacū.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, &c.

LITANIÆ

DE OMNIBUS SANCTIS.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli. Orate pro nobis.
Omnes Sancti beatorum ſpirituum Ordines, Orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptiſta, ora pro.

Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iabobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes Sancti Apostoli & Euange, listæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Discipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, Orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.

S. Vin-

Sancte Vincenti, ora.
Sancte Adalberte, ora.
Sancte Stanislae, ora.
Sancte Venceslae, ora.
Sancte Floriane, ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate.
Sancti Ioannes & Paule, orate.
Sancti Cosma & Damiane, orate.
Sancti Gervasi & Protasi, orate.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes Sancti Pontifices & Confessores, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.

Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ,
Orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ,
Orate pro nobis,
Sancta Anna, ora.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Margaretha, ora.
Sancta Anaſtaſia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ,
Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Doimne.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Dn̄e.
Ab ira tua, libera.
A ſubitanea & improviſa morte, lib.
Ab inſidijs diaboli, libera.
A peſte fame & bello, libera.

Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, Libera nos Domine.
A ſpiritu fornicationis, libera.
A fulgure & tempeſtate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ, libera nos Domine.
Per Adventum tuum, libera.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Baptiſmum & ſanctum jeiunium tuum, libera nos Domine.
Per crucem & paſſionem tuam, libera.
Per mortem & ſepulturam tuam, lib.
Per ſanctam reſurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, libera nos Domine.
Per adventum Spiritus ſancti paracleti, libera nos Domine.
Jn die judicij, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus.

Ut Ec-

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris, Te roga.

Ut domnum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta Religione conservare digneris, Te-rogamus audi nos.

Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi.

Ut Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, Te rogamus.

Ut cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.

Ut nos metipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut mentes nostras ad cælestia desideria erigas. Te rogamus.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te.

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.

Ut fructus terræ dare & conſervare dignerís, Te rogamus.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris, Te rog.

Fili DEI, Te rogamus audi nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon. *Pater noſter &c.*

℣ *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

PSALMUS. 69.

DEUS in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me feſtina.

Confundantur & revereantur, * qui quærunt animam meam.

Aver-

Avertantur retrorſum, & erubeſcant,* qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes,* qui dicunt mihi: Euge euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: * & dicant ſemper: Magnificetur Dominus: qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum:* DEUS adiuva me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: * Domine ne moreris.

Gloria Patri, &c.

℣. *Salvos fac ſervos tuos.*

℟. *Deus meus ſperantes in te.*

℣. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*

℣. *Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.*

℟. *Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.*

℣. *Oremus pro Pontifice noſtro N.*

℟. *Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciet eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.*

℣. *Oremus pro benefactoribus noſtris.*

℟. *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. A.*

℣. *Oremus pro fidelibus defunctis.*

℟. *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*

℣. *Pro fratribus noſtris abſentibus.*

℟. *Salvos fac ſervos tuos, Deus meus ſperantes in te.*

℣. *Mitte eis Domine auxilium de ſancto:*

℟. *Et de Sion tuere eos.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

OREMUS.

DEUS cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: ſuſcipe depreca-

precationem noſtram; ut nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis, Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris mereamur, averte.

OMnipotens ſempiterne DEUS, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis

æternæ; ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEUS à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

VRe igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium DEUS omnium Conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, pijs ſupplicationibus conſequantur.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adiuvan-

iuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens ſempiterne Deus qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quoſque vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis, tuis pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum Iesum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat &c.

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

℣. *Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus.* ℟. *Amen.*

℣. *Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.*

℟. *Amen.*

ORA-

ORATIO

Pro bona morte.

O Iesu rogo te per Mariam; ô Maria, rogo te per Iesum, ô Iesu & Maria, rogo vos per SS. Trinitatem, ô SS. Trinitas, rogo te per amorem quo Iesum, quo Mariam, quo te amas; miserere mei, ut felix moriar ad Maiorem tuam gloriam, amorem; ut vos amem in æternum.

O Iesu Christe, Deus cordis mei! obsecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi in Cruce, mei amor inflixit, famulo tuo subveni, quem pretioso sangvine redemisti. Te ego Iesu Christe, Deus cordis mei, per acerbissimos tuæ necis cruciatus obsecro obtestorque, ut intuearis ipse tuas cicatrices, quas æterno Patri assiduè pro me ostentas, easque salubres etiam misero mihi esse velis.

Ad Be-

Ad Beatissimam Virginem.

OFfero tibi MARIA DEI Mater, hunc & ultimum diem, vitæ meæ, cum suis horis singulis, & momentis, ut me custodias felici æternitati; & sistas SS. Trinitati & ut hoc impetrem, offero tibi vitam meam, in singulas horas. Offero me quoque ac omnes actus meos pro ijs in purgatorio animabus, quas tu elegeris; ut illæ me morientem iuvent.

Suspiria pro bona morte.

ESto mihi in Deum protectorem, & in Domum refugij, ut salvum me facies.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Ego autem in te speravi Domine: dixi DEUS meus es tu; in manibus tuis sortes meæ.

Misere mei Deus, miserere mei; quoniam in te confidit anima mea.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Jn te Domine speravi, non confundar in æternum.

EXERTITIUM SPIRITUALE:

Ab omni fideli Christiano ad minimum semel in die dicendum, præcipue in præsentia Augustissimi SACRAMENTI.

ADoro Te Sanctissima TRINITAS, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres Personæ, vnus solus DEUS.

Deijcio me in abysso mei nihili; sub conspectu Divinæ Maiestatis Tuæ.

Credo firmissime, paratus mille vitas profundere in contestationem omnium rerum, quæ nobis in sacris Scripturis revelasti, & per veram

Eccle-

Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in Te colloco, & quidquid possum habere boni sive spiritualis, sive corporalis, & in hac, & in altera vita, id totum desidero, spero, & volo solum consequi de tua manu DEUS meus, vita mea, & vnica spes mea.

Consigno Tibi hodie, & in perpetuum corpus & animam meam, omnes potentias meas, Memoriam, Intellectum, Voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offensa Tuæ Divinæ Maiestatis.

Propono firmissime impendere omne esse meum, facultates, ac vires, ad servitium & gloriam tuam.

Paratus sum suscipere quasque adversitates, mihi paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo cordi tuo.

Vellem me totum, quantus quantus sum, impendere & procurare, ut ab omnibus Tibi serviatur, atque omnes homines te glorificent, & ament DEUM Creatorem suum.

Gaudeo summe de Tua æterna felicitate; & exulto de Tua tam magna gloria in cœlo & in terra.

Gratias Tibi ago infinitas, pro innumeris beneficijs, quæ mihi, & toti mundo collata sunt, & in eum incessanter à benignissima Tua providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam Bonitatem propter seipsam, ex toto affectu cordis, & animæ meæ: & vellem, si possem, amare Te eo amore, quo te amant Angeli, & homines iusti, cum quorum amore, coniungo imperfectissimum amorem meum.

Offero Divinæ Maiestatis Tuæ, in unione meritorum Passionis, vitæ & mortis Christi, Beatissimæ semper Virginis & omnium Sanctorum, ex nunc pro semper, omnia opera mea,

pretio-

pretiosissimo Sangvine Iesu Redemptoris mei, lota; & involuta.

Statuo omnino participem me facere, quantum possibile est, Indulgentiarum per actiones huius diei, & illas applicare per modum suffragij pro animabus Purgatorij.

Volo etiam omne illud quod possum, offere in pœnitentiam, & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cum Tu sis infinite dignus omni amore, & servitio, siquidem Tu es, qui es, doleo quantum possum, maxime, de omnibus meis peccatis, illaque detestor, super omnia alia mala: peto humillime veniam, facioque firmissimum propositum, nunquam offendendi Tuam bonitatem in æternum.

Jn Tua vulnera proijcio me ô Iesu, ibi me absconde, & defende, hodie, & semper, donec mihi largiaris gratiam videnti Tui, & amandi in æternum. Amen.

HYMNUS
S. AMBROSII & AUGUSTINI.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli, & universæ potestates:

Tibi Cherubim, & Seraphim: incessabili voce proclamant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabbaoth.

Pleni sunt cæli & terra: Maiestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum: sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensæ Maiestatis.

Vene-

Venerandum tuum verum: & unicum filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterū.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Dei Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni: quos pretioso sangvine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis: gloria munerari.

Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos: & extolle illos usque in æternum.

Per

Per ſingulos dies: benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: Miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

Jn te Domine ſperavi non confundar in æternum.

Pia deſideria S. Franciſci, coram Sanctiſſimo SACRAMENTO *vel ante ſacram Communonem elicienda.*

O Domine DEUS meus, quis es Tu & quis ego? Ecce hic ſto ante Te Domine, tanquam mendicus ante divitem petens, ut divitias gratiæ tuæ mihi pro modulo meo participare vellis.

O Do-

O Domine IESU, hic ſto ante te, ut ſervus ante Dominum, petens cibum & potum Corporis & Sangvinis tui, ſimul & veſtem charitatis, quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine IESU hic ſto ante te, ut reus ante Iudicem terribilem, petens ut mihi judex pius eſſe velis, quando ſeparabitur anima mea à corpore, & ante tribunal tuum præſentabitur.

O Domine, hic ſto ante te, ſicut amicus ante amicum, petens ut eximia charitas tua trahat me ad te, me liget in te, & non permittat me unquam ſeparari à te.

O Domine, hic ſto ante te, tanquam filius ante parentem, petens confidenter, ut neceſſaria & ſalutaria quæque mihi provideas, & paternam hæreditatem mihi finaliter non velis denegare, Amen.

ADORATIO

SANCTISSIMI SACRAMENTI, *S. Thomæ Aquinatis Doctoris Ecclesiæ.*

ADoro te devote latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subijcit,
Quia te contemplans totum deficit:
Visus, gustus, tactus, in te fallitur,
Sed auditu solo tute creditur.
Credo quidquid dixit DEI Filius,
Nil hoc Verbo veritatis verius.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hic simul latet & humanitas:
Ambo tamen credens atq; confitens,
Peto quod petijt latro pœnitens.
Plagas sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me semper te magis quærere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini!
Panis vivus vitam præstans homini!
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie

Pie Pelicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo ſangvine:
Cuius una ſtilla ſalvum facere
Totum mundum poteſt omni ſcelere.
Iesu quem velatum nunc aſpicio,
Oro fiat illud, quod tam ſitio:
Ut te, revelatâ cernens facie,
Viſus ſim beatus tuæ gloriæ. Amen.

AFFECTUS
SEU
RHYTHMUS
Divi Bernardi de Paſſione Domini Iesu devotiſſimus.

Scribit Beatus Hugo Carthuſianus, in ſuo Hortulo devotionis, quod cum Sanctus Bernardus hanc ſequentem orationem recitaret coram crucifixo, ad eum ſe Chriſtus inclinarit, & dulciter amplexus ſit: Præterea quod Urbanus Papa V. *conceſſerit omnibus ijs, qui prænominatam orationem recitarent cum devotione* 1370. *annos, & in ſuper* 50. *dies indulgentiæ.* Denique *quod omnes, qui eam cum devotione dixerint, experturi ſint in hora mortis ſingularem devotionis ſenſum.*

DIE DOMINICA.

Ad Pedes.

SAlve mundi ſalutare,
Salve, ſalve Iesu chare:
Cruci Tuæ me aptare
Vellem vere, tu ſcis quare;
Da mihi tui copiam.

Ac ſi præſens ſis, accedo;
Immo te præſentem credo:
O quam nudum hic te cerno!
Ecce Tibi me proſterno,
Sis facilis ad veniam.

Clavos Pedum, plagas duras,
Et tam graves impreſſuras
Circumplector cum affectu,
Tuo pavens in conſpectu,
Tuorum memor vulnerum.

Grates tantæ charitati
Nos agamus vulnerati:
O amator peccatorum!
Reparator confractorum!
O dulcis Pater pauperum.

Quidquid eſt in me confractum,
Diſſipatum, aut diſtractum;
Dulcis IESU totum ſana,
Tu reſtaura, tu complana
Tam pio medicamine.

Te in Tua Cruce quæro
Prout queo, corde mero;
Me ſanabis hic ut ſpero:
Sana me, & ſalvus ero
In tuo lavans ſangvine.

Plagas tuas rubicundas,
Et fixuras tam profundas
Cordi meo fac inſcribi,
Ut configar totus tibi,
Te modis amans omnibus.

Dulcis IESU pie DEUS,
Ad te clamo, licet reus;
Præbe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum
De Tuis Sanctis Pedibus.

Coram Cruce procumbentem,
Hoſque pedes complectentem

Iesu bone non me ſpernas;
Sed de Cruce ſancta cernas
Compaſſionis gratiâ.

In hac Cruce ſtans directe
Vide me ô mi dilecte,
Ad te totum me converte:
Eſto ſanus, dic aperte;
Dimitto tibi omnia.

FERIA SECUNDA.

Ad Genua.

SAlve Iesu Rex ſanctorum,
Spes votiva peccatorum:
Crucis ligno tanquam reus
Pendens homo, verus Deus
Caducis nutans genibus.

O quam pauper! ô quam nudus!
Qualis eſt in Cruce ludus,
Deriſorum jocus factus;
Sponte tamen non coactus
Attritus membris omnibus?

Sangvis tuus abundanter
Fuſus, fluit inceſſanter:

Totus

Totus lotus in cruore,
Stans in maximo dolore,
Præcinctus vili tegmine.

O maiestas infinita!
O egestas inaudita!
Quis pro tanta charitate,
Quærit te in veritate.
Dans sangvinē pro sangvine.

Quid sum tibi responsurus
Actu vilis, corde durus?
Quid rependam amatori
Qui eligit pro me mori
Ne dupla morte morerer?

Amor tuus, amor fortis,
Quem non vincunt jura mortis:
O quam pia me sub cura
Tua voves in pressura
Ne morsu mortis vulnerer!

Ecce tuo pro amore
Te complector cum rubore,
Me coapto diligenter,
Tu scis causam evidenter:
Sed suffer, & dissimula,

Hoc quod ago non te gravet,
Sed me ſanet, & me lavet
Inquinatum & ægrotum
Sangvis fluens hic per totum,
Ut non ſuper ſit macula.

In hac Cruce te cruentum,
Te contemptum, & diſtentum
Ut requiram me impelle,
Et hoc imple meum velle
Facturus quod deſidero:

Ut te quæram mente purâ;
Sit hæc prima mea cura:
Non eſt labor, nec gravabor,
Sed ſanabor, & mundabor
Cum te complexus fuero.

FERIA TERTIA.

AD MANUS.

SALVE IESU Paſtor bone
Fatigatus in agone,
Qui per lignum eſt diſtractus,
Et ad lignum es compactus
Extenſis ſanctis manibus.

MANUS

MANUS ſanctæ vos avete
Roſis novis adimpletæ,
Hos ad ramos dure junctæ,
Et crudeli ferro puncte
Tot guttis decurrentibus.

Ecce fluit circumquaque
MANU tua de utraque
Sangvis tuus copioſe
Rubicundus inſtar roſæ
Magnæ ſalutis pretium.

Manus clavis perforatas,
Et cruore purpuratas
Corde premo, præ amore
Sitibundo bibens ore
Cruoris ſtillicidium.

O quam large te exponis!
Promptus malis atque bonis:
Trahis pigros, pios vocas,
Et in tuis ulnis locas,
Paratus gratis omnibus.

Ecce tibi me præſento
Vulnerato & cruento;

Semper ægris misereris;
De me ergo ne graveris
Qui præsto es amantibus.

Jn hac Cruce sic extensus
In Te meos trahe sensus:
Meum posse, velle, scire,
Cruci tuæ fac servire,
Me tuis apta brachijs.

Jn tam lata charitate
Trahe me in veritate,
Propter Crucem tuam almam
Trahe me ad Crucis palmam
Dans finem meis vicijs.

MANUS sanctæ vos amplector,
Et gemendo condelector:
Grates ago plagis tantis
Clavis duris, guttis sanctis
Dans lachymas cum osculis.

Jn cruore tuo lotum
Me commendo tibi totum:
Tuæ sanctæ manus istæ
Me defendant IESU Christe
Extremis in periculis.

FERIA QVARTA.

Ad Latus.

SALVE IESU ſumme bonus
Ad parcendum nimis pronus;
Membra tua macilenta
Quam acerbe ſunt diſtenta
In ramo Crucis torrida!

Salve LATUS Salvatoris,
In quo latet mel dulcoris,
In quo patet vis amoris,
Ex quo ſcatet fons cruoris,
Qui corda lavat ſordida.

Ecce tibi appropinquo,
Parce IESU ſi delinquo:
Verecunda quidem fronte,
Ad te tamen veni ſponte
Scrutari tua vulnera.

Salve mitis apertura
De qua manat vena pura:
Porta patens & profunda,
Super roſam rubicunda
Medela ſalutifera.

Odor tuus super vinum,
Virus pellens serpentinum;
Potus tuus, potus vitæ:
Qui sititis huc venite;
Tu dulce vulnus aperi.

Plaga rubens aperire
Fac cor meum te sentire,
Sine me inter transire,
Vellem totus introire:
Pulsanti pande pauperi.

Ore meo te contingo,
Et ardenter ad me stringo;
In te meum cor intingo
Et ferventi corde lingo
Me totum in te traijce.

O quam dulcis sapor iste!
Qui te gustat IESU Christe,
Tuo victus à dulcore
Mori posset præ amore
Te unum amans unice.

In hac fossa me reconde,
Infer meum cor profunde;

Ubi latens incalescat,
Et in pace conquiescat,
Ne prorsus quenquã timeat.

Hora mortis meus flatus
Intret IESU tuum latus,
Hinc expiras in te vadat,
Ne huc leo trux invadat,
Sed apud te permaneat.

FERIA QVINTA.

AD PECTUS.

SALVE salus mea DEUS,
IESU dulcis, amor meus;
Salve PECTUS reverendum
Cum tremore contingendum,
Amoris domicilium.

Ave thronus Trinitatis,
Arca latæ charitatis,
Firmamentum infirmitatis,
Pax & pausa fatigatis,
Humilium triclinium.

Salue IESU reverende
Digne semper inquirende,
Me præ-

Me præſentem hic attende,
Accedentem me ſuccende
Præcordiali gratia.

Pectus mihi confer mundum,
Ardens, pium, gemebundum;
Voluntatem abnegatam,
Tibi ſemper conformatam,
Iuncta virtutum copia.

Jesu dulcis, Paſtor pie,
Fili Dei, & Mariæ;
Largo fonte tui cordis,
Fœditatem meæ ſordis
Benigne Pater dilue.

Ave ſplendor & figura,
Summi Dei genitura,
De theſauris tuis plenis
Deſolatis, & egenis
Munus clementer proflue.

Dulcis Iesu Chriſti Pectus
Tuo fiam dono tectus,
Abſolutus à peccatis,
Ardens igne charitatis,
Ut ſemper te recogitem,

Tu ab-

Tu abyſſus es ſophiæ,
Angelorum harmoniæ
Te collaudant, ex te fluxit
Quod Ioannes cubans ſuxit;
In te fac ut inhabitem.

Ave fons benignitatis,
Plenitudo Deitatis,
Corporalis in te manet,
Unitatem in me ſanet
Quod tu confers conſilium.

Ave verum templum DEI,
Precor miſerere mei:
Tu totius arca boni
Fac electis me apponi,
Vas dives, DEUS omnia.

FERIA SEXTA.

AD COR.

SUmmi Regis COR aveto,
Te ſaluto corde læto,
Te complecti me delectat.
Et hoc cor meum affectat,
Ut ad te loquar animes.

Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cum te totum exhaurires,
Ut te nobis impertires,
Et nos à morte tolleres?

O mors illa quam amara!
Quam immitis, quam avara!
Quæ per cellam introivit
In qua mundi vita vivit
Te mordens cor dulcissimum.

Propter mortem, quam tulisti,
Quando pro me defecisti,
Cordis mei, Cor dilectum,
In te meum fer affectum
Hoc est quod opto plurimum.

O Cor dulce præ dilectum
Munda cor meum illectum,
Et in vanis induratum
Pium fac, & timoratum
Repulso tetro frigore.

Per medullam cordis mei
Peccatoris atque rei

Tuus amor transferatur,
Quo Cor tuum rapiatur
Langvens amoris vulnere.

Dilatare, aperire,
Tanquam roſa flagrans mire
Cordi meo te coniunge.
Unge illud, & compunge:
Qui amat te, quid patitur.

Quidnam agat neſcit vere,
Nec ſe valet cohibere,
Nullum modum dat amori,
Nulla morte, vellet mori
Amore quiſquis vincitur.

Viva cordis voce clamo,
Dulce Cor te namque amo:
Ad cor meum inclinare,
Ut ſe poſſit applicare
Devoto tibi pectore.

Tuo vivat in amore,
Nec dormitet in torpore,
Ad te oret, ad te ploret,
Te placatum ut exoret,
Te fruens omni tempore.

Roſa cordis aperire
Cuius odor flagrat mire,
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anchelare
Flamma deſiderij.

Da cor cordi ſociari,
Tecum Iesu vulnerari:
Nam cor cordi ſimilatur,
Si cor meum perforatur
Sagittis improperij.

Jnfer tuum intra ſinum
Cor ut tibi ſit vicinum,
In dolore gaudioſo
Cum deformi ſpecioſo
Quod vix ſe ipſum capiat.

Hic repauſet, hic moretur,
Ecce jam poſt te movetur,
Te ardenter vult ſitire
Iesu noli contraire
Ut bene de ſe ſentiat.

SABBATHO.

AD FACIEM.

SAlve caput cruentatum
Totum ſpinis coronatum;
Conquaſſatum, vulneratum,
Arundine verberatum
Facie ſputis illita.

Salve, cuius dulcis vultus
Immutatus & incultus
Immutavit ſuum florem
Totus verſus in pallorem
Quem Cœli tremit Curia,

Omnis vigor atque viror
Hinc receſſit, non admiror;
Mors apparet in aſpectu
Totus pendens in defectu
Attritus ægra macie.

Sic affectus, ſic deſpectus,
Propter me ſic interfectus,
Peccatori tam indigno
Cum amoris inter ſigno
Appare clara facie.

Jn hac tua paſſione,
Me agnoſce Paſtor bone,
Cuius ſemper mel ex ore
Hauſtum lactis cum dulcore
Præ omnibus delicijs.

Non me reum aſperneris,
Non indignum dedigneris:
Morte tibi jam vicinâ
Tuum caput hic inclina
In meis pauſâ brachijs.

Tuæ ſanctæ Paſſioni
Me gaudentem interponi,
In hac Cruce tecum mori
Præſta Crucis amatori;
Sub cruce tua moriar.

Morti tuæ tam amaræ
Grates ago, IESU chare:
Qui es clemens, pie DEUS,
Fac quod petit tuus reus,
Ut abſque te non finiar.

Dum me mori eſt neceſſe,
Noli mihi tunc deeſſe;

In tremenda mortis hora
Veni Iesu abſque mora,
Tuere me & libera.

Cum me iubes emigrare,
Iesu chare tunc appare:
O amator amplectende!
Temetipſum tunc oſtende
In Cruce ſalutifera. Amen.

Pia Fidelium Defunctorum memoria & pro illis Suffragia.

P R O S A.

Qua utitur Eccleſia in Miſſis Defunctis.

DIes iræ, dies illa,
Solvet ſeclum in favilla:
Teſte David cum Sibylla.

Quantus tremor eſt futurus,
Quando Iudex eſt venturus,
Cuncta ſtricte diſcurſurus!

Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulcha regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors ſtupebit, & natura,
Cùm reſurget creatura,
Iudicanti reſponſura

Liber ſcriptus proferetur
In quo totum continetur
Unde mundus iudicetur.

Judex ergo cùm ſedebit,
Quidquid latet apparebit:
Nil inultum remanebit.

Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Cùm vix iuſtus ſit ſecurus.

Rex tremende Maieſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.

Recordare Iesu pie,
Quod ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.

Quærens me, ſediſti laſſus:
Redemiſti, Crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus.

Iuſte iudex ultionis,
Donum fac remiſſionis
Ante diem rationis.

Jngemiſco tanquam reus:
Culpa rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.

Preces meæ non ſunt dignæ:
Sed tu bone fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Jnter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro ſupplex & acclivis,
Cor contritum, quaſi cinis,
Gere curam mei finis.

Lacrymoſa dies illa,

Qua resurget ex favilla
Iudicandus homo reus,
Huic ergo parce Deus.
Pie Iesu Domine,
Dona eis requiem. Amen.

Orationes pro defunctis.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem æternam dona eis Domine. Et lux perpetua luceat eis.

℣. *A porta inferi,*
℟. *Erue Domine animas eorum.*
℣. *Domine exaudi orationem meã,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

In die obitus.

ABsolve quæsumus Domine animã famuli tui N. ut defunctus sæculo, tibi vivat. & quæ per fragilitatem carnis humanâ conversatione commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum &c.

Pro Episcopis & Sacerdotibus.

DEUS qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum

quoque perpetuo aggregentur consortio.

Pro defunctis fratribus.

DEUS veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis Fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro Patre, & Matre.

DEUS qui nos Patrem, & Matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus Patris ac Matris meæ, eorumque peccata dimitte: meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum &c.

Pro uno defuncto.

INclina Domine aurem tuam, ad preces nostras, quibus misericor-

diam

diam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc ſæculo migrare feciſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, & ſanctorum tuorum iubeas eſſe conſortem. Per Dominum noſtrum.

Pro una defuncta.

QVæſumus Domine pro tua pietate, miſerere animæ famulæ tuæ N. & à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ ſalvationis partem reſtitue. Per Dominum noſtrum.

Pro pluribus defunctis.

FIdelium DEUS omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

HYMNUS
Pro defunctis
AD BEATAM V. MARIAM.

LUgentibus in Purgatorio,
Qui purgantur ardore nimio,
Et torquentur ſine remedio,
Subveniat tua compaſſio,
ô MARIA.

Fons es patens, quæ culpas abluis,
Omnes ſanas, & nullum reſpuis,
Manum tuam extende mortuis,
Qui ſub pœnis langvent continuis,
ô MARIA.

Ad Te pia ſuſpirant mortui,
Cupientes de pœnis erui,
Et adeſſe tuo conſpectui,
Et gaudijs æternis perfrui,
ô MARIA.

Clavis David, quæ Cœlum aperis,
Nunc beata ſuccurre miſeris,
Qui tormentis torquenter aſperis,
Educ eos de domo carceris,
ô MARIA.

Lex juſtorum, norma credentium,
Vera ſalus in Te ſperantium,
Pro defunctis ſit tibi ſtudium,
Aſſidue orare filium,
ô Maria.

Benedicta per tua merita,
Te rogamus mortuos ſuſcita,
Et dimittens eorum debita,
Ad requiem ſis eis ſemita,
ô Maria. Amen.

ORATIO.

ORamus te pijſſima Virgo Maria, mundi Regina & Angelorum, ut eis quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium; peccatoribus indulgentiam, juſtis in bono perſeverantiam: nos quoque fragiles ab inſtantibus defende periculis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Clemens VIII. P. M. *concessit, neque ullus Papa revocavit, ut toties liberet quis animam è Purgatorio, quoties ad honorem S. Sindonis Christi legit sequentem orationem, uti P. Roas tradit L. de Purgat. c. 16. in hisp. exempl.*

O R A T I O.

O Deus qui nobis in sancta Sindone, quà Corpus tuum sacratissimum, de Cruce depositum, à Ioseph in volutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem, & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas in vnitate Spiritus Sancti Deus: Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

R Y T H M U S
B E A T I I A C O P O N I
Mundi instabilitatem, & fallaciam aperientis.

CUr mundus militat, Sub vana gloria, Cuius prosperitas est transitoria. Tam cito labitur eius potentia, Quàm vasa figuli quæ sunt fragilia.

Plùs

Plùs crede literis scriptis in glacie; Quàm mundi fragilis vanæ fallaciæ; Fallax in præmijs virtutis specie, Qui nunquam habuit tempus fiduciæ.

Credendum magis est viris fallacibus, Quàm mundi miseris prosperitatibus, Falsis in somnijs & vanitatibus, Falsisq; studijs & vanitatibus.

Dic ubi Salomon olim tam nobilis? Vel ubi Samson est dux invincibilis? Vel pulcher Absolon vultu mirabilis? Vel dulcis Ionathas, multum amabilis?

Quo Cæsar abijt celsus imperio? Vel dives Epulo totus in prandio? Dic ubi tullius clarus eloquio? Vel Aristoteles summus ingenio?

Tot clari proceres, tot rerum spatia, Tot ora præsulum, tot regna fortia, Tot mundi Principes, tanta potentia? In ictu oculi, clauduntur omnia.

Quam

Quam breve festum est hæc mundi gloria? Ut umbra hominis sunt eius gaudia, Quæ semper subtrahunt æterna præmia, Et ducunt hominem ad dura devia.

O esca vermium, ô massa pulveris? O vox ô vanitas cur sic extolleris? Ignorans penitus utrum cras vixeris? Fac bonum omnibus quamdiu poteris.

Hæc carnis gloria quæ magni penditur, Sacris in literis flos fæni dicitur, Vel leve folium quod vento rapitur, Sic vita hominis, hæc vita tollitur.

Nil tuum dixeris, quod potes perdere, Quod mundus tribuit intendit rapere; Superna cogita, cor sit in æthere, Felix qui potuit mundum contemnere.

F I N I S.